
Aristotelis Stagiritae Poetica,

Alexandro Paccio, Patritio Florentino interprete.





PARISIIS
In officina Christiani Wecheli.
M. D. XXXVIII.

GVILLELMVS PACCIVS ALEXANDRI F. FRANCISCO CAMPANO S. P. D.



V M meum ipse sæpe, ac diligenter consyderarem, Francisce Campane, an Aristotelis Poëticen in latinum ab Alexandro patre conuersam, in lucem proferre, an uerò, ut hactenus feci, comprimere deberem: plurimum me ab eo dehortari uidebatur, quòd sciebam illum ab ea diuulganda uehementer abhorruisse, nisi priùs institutum in hac re suum, ad quem optabat exitum, id quod minime potuit (mors enim eius consilium præuertit) perduxisset. Atque utinam non ita ante tempus è uita discessisset: nam præter hoc, multa etiã alia ex eo commoda facilè nobis accidere potuissent. Voluit igitur pater suã hanc lucubrationem, magis domesticã exempli causâ, ut monumenta, & quasi uestigia studiorum suorum, intra proprios parietes contineri, quàm ex eius nondum perfectæ, & absolutæ, ut ipsemet ad Leonicum scribens testatur, editione famam, & existimationem suam, quam omnibus alijs in rebus honeste augendam, atque amplificandam summo studio, & labore curauit, in periculum, discrimenq; uenire. Hæc ferè mihi in mentem ueniebant, quibus ego ab ea edenda uehementer deterrebar. Contrà uerò non mediocriter incitabar, quòd ad eam rem authores, ac monitores habebam complures doctißimos, prudentißimosq; uiros, quos ego semper cum paterni nominis studiosißimos, tum mei amantißimos cognoueram. Qui illi ipsi uiri, cùm

cum hanc interpretationem per multos dies in manibus habuissent, eámque non solùm, ut dicebant, legissent, sed diligenter etiam ponderassent, ac exanimassent, statuebant, si emanaret, non modò de patris fama hoc non esse detracturum, uerum etiam ad eius nominis memoriam multum additurum. Accedebat prætereà, quòd id à me flagitabant multi, docti admodùm, mihiq; amicißimi: inter quos erat nobilißimus philosophus Vincentius Magius: qui (ut est studiosorum commodi, utilitatisq; summè studiosus & cupidus) libelli illius explicandi prouinciam, onúsque susceperat. quibus ego hominibus ob singulares eorũ uirtutes, & non uulgaria in me studia, ut omnibus in rebus, ita etiam in hac ipsa mirificè gratificari cupiebam: cum præsertim ita sæpe, & ita uehementer id à me contenderent, ut aut mihi eorum flagitationibus satis esset faciendum, aut officium necessitudinis repudiandum, atque abijciendum. Quapropter constitui tandem illam foràs esse dandam, non tantum doctißimorum illorum, eorundémq; prudentißimorum, qui id mihi suadebant, nõ amicißimorum, qui uehementißime petebant, rationem ducens: quorum tamen nec authoritatem aspernari, nec beneuolentiam, & uoluntatem negligere debeo: quando ueritus, si id non fecissem, ne quis fortè me, siquid ex his patris studijs, & laboribus ad communem fructum afferri potuisset, id ipsum supprimere, & in proprium tantum usum conferre uelle suspicaretur, quod cum ingenui animi homine, & ijs studijs, quibus à pueritia mea deditus fui, minime est dignum: tum à natura & institutis meis semper fuit alienißimũ. Quò circa, ut cõmodius huius rei studiosis consuleretur, græcum etiam, quam emendatißimè

potuimus

potuimus,huic adiungendum curauimus. Quòd si per seditiones ciuiles,rerumq́; nostrarum confusionem,exemplaris mihi illius potestas fuisset, in quo corrigendo pater uehementer laborauerat , adiumento usus doctißimorum hominum multorumq́; peruetustorum codicum: illud æque, atque interpretationem , publici commodi causâ libenter in medium protulissem.Hunc autem Aristotelis libellum tuo potißimum nomine diuulgari , & in manus hominum peruenire uoluī :siue quòd in eo poëticæ artis præcepta diuinitùs,ut omnia ab Aristotele,traduntur: qua in re tu non minus,quàm in omni alio uirtutum genere,mirabiliter excellis : siue quòd,si optandus mihi erat,cui ego ob suum egregium,ac prolixum erga nos animum , quæcunque in re mihi occasio,facultasq́; daretur , memorem me, ac gratum ostendere deberem, nullus profecto, uel admodum pauci (sed non omnia omnibus conuenire arbitror) mihi occurrebant,quibus ego non te iure præferendum esse iudicarem. Mitto igitur ad te has, cuiusmodi illæ sint, patris mei uigilias :atque ita mitto, ut perpetuæ meæ ergo te beneuolentiæ atq; obseruantiæ,non obscuro testimonio tibi sint, atque etiam,quotiescunque eas in manus sumpseris,te,tametsi admonitore non eges, ad rerum nostrarum memoriam excitent. Vale.

Patauij V.calendas Martias, M. D. XXXVI.

ALEXANDER PACCIVS NICOLAO LEONICO S. D.



Bseruationes tuas in Electram nostram ita probauimus, ut omnium sanè diligenter habita ratione, digna statim uisa sit, cui suprema à nobis manus imponeretur. Quantum uerò & amicitiæ nostræ, & iudicio tuo tribuendum censeam, uel ex eo cognoscere potes, quòd te deinte gro adiuerim, opemq; & auxilium tuum mihi, reiq; literariæ subinde implorauerim. Mitto enim ad te Aristotelis Poëticam à me in latinum conuersam anno propè iam tertio ab hinc, Romæ cum essem, legendum sanè, atque recognoscendam. Quod autem consilium hac in re fuerit tunc meum, & nunc sit, paucis accipe. Scio equidem te non latere, quàm diu hoc Aristotelis opus, alioqui tam pulchrum, tamq; necessarium cùm poëmatibus componendis, tum compositis rectè iudicandis, in tenebris iacuerit, quàm parum aditum, quamq; nullis cultum commentationibus, annotationibúsue. Id quod in causa fuisse crediderim, quòd ea iam monstra aluerit, quæ uel Herculem ipsum deterrere possent. Quo enim minus lectitantur, atque in manibus habentur libri, eo quidem inacultiores, deprauatioresq; fieri quis nescit? eoq; rursus minus lectitari, ideoq; cumulatiùs deprauari? Ita altera alterius reciprocè in his est causa. Cuius tamen mira uirtus satis omnibus nota esse potest, multis de causis, præcipuè uerò quòd ex ipsius Aristotelis officina prodierit. id autem manifestißimum est, non modo propter stilum & ordinem notißimum cunctis, quibus ipse notus est: uerùm etiam, quoniam

quoniam in Rhetoricis ab eodem interdum allegatur, & à Plutarcho quoque non semel, alijsq; claris tam Græcis, quàm nostris authoribus. Quod cùm ita sit, nequeo mirari satis, hanc doctrinæ partẽ tam negligenter habitam hactenus fuisse. Nam quòd Auerrois super hac commentatio reperiatur, planè nihil est, cùm nihil ad rẽ afferat, propterea quòd parũ intellectũ esset ab ijs qui in Arabam linguã hoc opus uerterũt. Nihil etiam est quod à Georgio Valla conuersum in latinum habeatur: id quod satis per se apparet. Vtcunque uerò, multis (ut diximus) portentis scatet. Quæ quidem difficultas inter alias diu me detinuit, quò minus interpretationem hanc aggrederer. quanquàm enim in literis præstantissimus Hermolaus (ut ipse quadam in epistola scribit) hoc idem se præstiturum promittit, non tamen propterea plus animi faciebat: etenim cum nihil tale eius reperiatur, uel illud omisisse credi poterat, uel certe parum sibi in eo satisfecisse. Verumenimuerò, cùm nihilo minus arderem hoc desyderio, eóque etiam acriùs, quo plus difficultatis sese mihi offerebat: fore putaui, ut in tanta librorũ, quæ tunc erat in urbe, copia, si diligenter exquirerem, aliqua possem exemplaria inuenire, quæ magnam fortasse mihi difficultatis huius partem adimerent. Nam cæteræ, tantum abest, ut ab instituto meo me dimouere possent, ut etiam uehementiùs ad id impellerent, atque adeo magis in dies accenderent, ne unus ex illis uideri iure possem, quos ipsemet Aristoteles, aquilæ exemplo natos degeneres è nido explodentis (si Philopono credimus) à libris suis arcere uoluit. Quapropter habitis iam tribus uetustis admodũ exemplaribus, uno præsertim ex Vaticana bibliotheca, monstris illis omnibus bellum indicere, planéq;

manum cum eis conserere non sum ueritus, quibuscum diu, magnoq; (fateor) cum labore pugnaui: quanta uerò cum laude ex prælio discesserim, aliorum sit iudicium: certè non succubui. sanè placuit pedem referre nondum cunctis omnino expugnatis, aggressurus eadem deintegro, si quando uel meliorem exemplarium copia mihi daretur, uel doctiorum hominum, quos eadem de re adire possem, occasio. Itaque superioribus mensibus cum in hanc urbē Reip. nostræ uenissem Orator, unus tu mihi statim occurristi, quē non solùm liberè consulere possem propter incredibilem humanitatem, qua præditus es, & amorem erga me tuum: sed etiam deberem propter rarā doctrinam, notissimamq; mihi ingenij elegantiam. Sustinui tamen me, & quod mirū in modum confestim perficere optabam, distuli consultò in hunc diem. Id autem non tam à me factum fuit, quoniam eo tempore tragœdias nostras recognoscendas haberes, quàm quoniam data mihi interim copia est Casparis Contareni, summi ingenij uiri summæq; literaturæ. Is enim, ut est etiam humanissimus, tum morum elegantia, tum bonitate æuo nostro propè unicus, statim mihi amicissimus factus, lucubrationes nostras non solùm diligenter legit, sed plurimis in locis annotauit, & emendauit. Quid multa? magnam monstrorum partem, quæ ex primo prælio superfuerant, secundo hoc, eius auspicijs, debellauimus, planeq; profligauimus: profligaturi mox & reliqua, si tertio, quod instat, auxilijs tuis, quæ uehementer imploramus, eruditiss. atque amicissime Leonice, uti poterimus. Habes utranque consilij mei rationem, quam à principio me tibi scripturum sum professus. Cæterùm operæpretium me omnino fecisse puto, cum eam prouinciam susceperim, quæ alioquin maximè

maximè necessaria, ab omnibus profectò uel intacta, uel pretermissa fuerat. Quippe pro uiribus sum conatus, non modò græcum Aristotelis sensũ summa cum fide latinum reddere, sed etiam adhibitis antiquis codicibus, quantum licuit maxima cum diligentia proprium, atq; legitimum inuenire. Quòd si aliqua ex parte cum laude pensum nostrum absoluerimus, rem profectò literariam non mediocriter iuuasse nos quis ambigat? si uerò parum felicibus auspicijs id conati fuerimus, debebunt nihilo minus nobis literati: si quidem (ut idẽ ait Aristoteles) illis etiam debemus nonnihil, qui sine laude scripserunt: quandoquidem inuentis addere facilius quidem est, quàm noua conari, eáque in medium afferre. Iuuamus insuper rem literariam mirum quendam in modum per inuidos, atque obtrectatores: quippe qui nulla alia mercede, præterquàm carpendi delectatione, diligentiam, laboremq; suum cõmuni utilitati impenderent. qua quidem proposita, usque adeo accuratè, ac totis uiribus in aliena incumbunt, eáque adamußim scrutantur, ut meliora sepe reddant: & quod ipsi aliter præstare nequiuissent, obtrectationis amore assequantur. Ego si uel hoc pacto quicquam rei literariæ profuero, tantum abest, ut castigationes alienas molestè sim laturus, ut etiam me illis magnopere debiturum ex animo fatear. Vale. Venetijs. V. Id. Oct.

M. D. XXVII.

Aristotelis Sta-
GIRITAE POETICA,
ALEXANDRO PACCIO, PA
tritio Florentino interprete.



E POETICA, eiusq; generibus, quam facultatem singula habeant: & quo pacto, ut recte Poësis se habeat, cõponi fabulas oporteat: ex quot etiam, quibusq; partibus constet: de omnibus item, quæcunque ad hanc uiam, & rationem pertinent, dicamus, initio secundum naturam sumpto, primum à primis. Epopeia sanè, Tragœdiæq; Poësis, Comœdia insuper, ac Dithyrambica, tum pleræque illarum, quas ad tibias, citharásue accommodamus, omnes prorsus in hoc uno conueniunt, ut imitatio sint. Tribus aũt differunt inter se, aut quod genere diuersis imitantur, aut quòd res diuersas, aut quòd modo diuerso, minimeq; secundum eandem rationem. Vt enim coloribus, atque figuris pleraque quidam æmulantes imitantur, hi quidem arte, consuetudine illi, non nulli etiam uoce: ita quoque & in dictis artibus accidit. etenim omnes imitationem exercent, numero dico, sermone, harmonia: hisque uel separatim, uel promiscuè: uerbi gratiâ: harmonia simul & numero tantum utuntur illæ, quæ ad tibias, quæue ad citharas pertinent: tum si quæ aliæ sint, quæ facultatem huiusmodi sortiantur,

sortiantur, ut est illa fistularum. Numero uerò ipso seorsum ab harmonia imitari, saltantiũ est: quandoquidem hi gesticulatiõis numerosa uarietate mores, perturbationes, actionesq; imitantur. Nudis autem sermonibus, siue metris solummodò Epopœia utitur, metrorum quidem hactenus siue mixtis aliquibus inter se, siue generis eiusdem aliquius. Nam quod Sophronis, & Xenarchi mimis commune dicamus, sermonibusq; Socraticis, aliud prorsus habemus nihil: nec item, si quis trimetris, elegis, alijsue talibus aliquibus imitationem fecerit. Quanquã homines, ipsi metro fingere adiungentes, elegorum fictores hos, hexametrorum illos nominant, non quidẽ secundum imitationem, sed communiter secundum metrũ, poëtas ipsos appellantes. Etenim si quid medicum, harmonicũue numeris efferũt, hac sanè ratione appellare consueuerunt. Homero quoque, atque Empedocli nihil planè præter metrũ commune est. quamobrẽ legitimus quidem ille poëta, hic physicus potius, quàm poëta, meritò uocandus est. Similiter quoque si quis metra permiscens uniuersa, imitationem tamen minime fecerit, ut ipse Chæremon, qui Hippocentaurũ omnifariam numerorum mixtum centonem edidit, non iam poëta appellandus. De his igitur per hunc modũ determinatũ sit. Sunt uerò qui his omnibus promiscuè utantur, numero dico, harmonia, metro, ut Dithyrãborum, Mimorúmue poësis, Tragœdia insuper, atq; Comœdia: quæ tamen hoc differunt, quòd illæ quidẽ simul omnibus, hæ uerò particulatim utuntur. Has igitur artiũ differentias dico, in quibus imitatio fit. Quoniam uerò qui imitantur, agentes ipsos imitãtur: hos aũt uel probos, uel ĩprobos esse oportet, ut quos dũtaxat ferè semper ipsi mores concomitẽtur (etenim per uitium,

tium, atque uirtutem moribus omnes differunt) necesse est (quod etiam pictores faciunt) uel meliores, uel similes, uel deteriores imitari. Polygnotus quidem meliores, Pauson deteriores, Dionysius uerò similes effingebat. Ex quo liquidò apparet, imitationum supradictarum unamquanque tales differentias sortiri planeq; diuersam euadere, quòd res diuersas ad hunc modum imitetur. etenim tū in saltatione, tum in tibiarum cithararūue modulatione, huiusmodi dissimilitudines fieri contigit. Similiter quoque & quæ circa sermones, & nuda carmina uersantur: exempli gratiâ: Homerus, præstantes effingit: Cleophon similes: Hegemon uerò ille Thasius, qui primus parodias scripsit, nec non Nicocharis, qui Deliadem, uiles. Pari ratione & qui per Dithyrambos, & Mimos ut fatuos, & Cyclopas, Timotheus, & Philoxenus utique imitantur. Qua etiam dissimilitudine Tragœdiam à Comœdia differre dicimus: hæc enim humiliores, illa uerò præstantiores, q̄ qui modò sunt. Tertia præterea in his differentia est, quo quisque modo singula imitetur. fieri enim potest, ut eisdem eadem, diuersâ tamen ratione imitemur: aliquando quidem narrantes nos, idque modò alienam personam induti, (quod Homerus facit) modò ut ijdem ipsi non mutati, aliquando uerò quasi negociantes omnes, & agentes introducentes. Atque in his plane tribus differentijs (ut à principio diximus) imitatio est, quibus uidelicet, quæ, & quo modo. Quo sanè fit, ut ab Homero Sophocles aliquo pacto in imitatione non discrepet, quòd uterque præstantes imitetur: nec item ab Aristophane, quod uterque negociantes & agentes: unde δράματα, id est actus ipsos, nonnulli ab agentium imitatione appellari dicunt.

Quamobrem

Quamobrem Tragœdiam, atque Comœdiam Dorienses sibi uendicant: Comœdiam quidem Megarenses, tam hi, qui hic sunt, ut eo tempore inuentam, quo populari administratione eorum respublica regebatur: quàm qui ex Sicilia: siquidem ab his poëta Epicharmus prodijt multo sanè prior Chonnida, atque Magnete: Tragœdiam uerò quidam in Peloponneso: eiusq; rei indicium illi uocabula esse uolunt: cùm ipsi quidem κώμας, uicos appellari dicant: Athenienses uerò, δήμους: quasi comœdos non à κωμάζειν, hoc est à comessando, sed tanquã errantes per comas .i. uicos, in urbe despectui habitos, dictos existimant. rursus hi quidem facere δρᾶν, Athenienses uerò πράττειν dicũt. Ac de imitationis hactenus differẽtijs, quot uidelicet, & quales, hæc dicta sint. Cæterùm à duabus causis, & quidem naturalibus uidetur Poëtica habuisse originem. Nam & insitum est à natura hominibus à pueris, imitari: & differunt à cæteris animantibus, tum quòd aptißimi ad imitationem sunt, tum quòd primas disciplinas imitando acquirunt, & unusquisq; iuxtà imitationibus gaudet. Cuius rei, quod in operibus accidit, argumentum sit. Etenim quæ ipsi cum molestia aspiámus, eorum imagines affabrè factas gaudentes intuemur, ut ferarum formas truculentarum, cadauerúmue. Huius uerò ratio sit, quòd non solùm philosophis, sed etiam cæteris mortalibus addiscere iucundißimum est: quanquàm modicè in hoc hi communicent: ideoq; huiusmodi imagines inspiãentes gaudent, quoniam ex illarum contemplatione accidit, ut & discant unumquodque, & in eis, quòd hoc ipsum sit illud, probè ratiocinentur. alioqui si ueras formas neutiquã inspexissent, nullã omnino uoluptatem præberet imitatio

præterquàm

præterquàm uel opificio, uel colore, uel tali aliqua ratione. Cùm uerò nobis naturâ insita sint imitatio, harmonia, numerus (metra enim numeri partes esse, satis apparet) ab initio ad hæc maximè facti, ea paulatim promouentes ex ipsis quidem extẽporarijs Poëticã genuerunt: in diuersa uerò abijt pro uniuscuiusque natura. Vt enim actiones honestas digniores, taliumq; fortunas imitabantur, ita prauas humiliores, sanè primum conuitijs agentes, quemadmodum superiores hymnis laudationibúsue. Ante uerò Homerum nullum omnino tale poëma habemus, tametsi plura extitisse credere par est. Extat autem ipsius Homeri (ut ab eo initium sumamus) Margites, & huic consimilia: quibus insuper, quod maximè congrueret, iambicum metrum accessit: iambicumq; propterea nũc appellatur, quòd his plerunque numeris ueteres ἰαμβίζειν, id est conuiciari, inuicem soliti sint. E ueteribus aliqui heroici, aliqui iambicã poëtæ extitere. At uerò ipse Homerus, quemadmodùm præcipuè heroicus fuit (solus enim hic non modò rectè, sed actionum imitationibus referta poëmata condidit) sic etiam Comœdiæ normam primus tradidit, non quidem probris, sed ridiculis in actuum formam collatis. Et sanè similis in Margite ratio. hic enim ita se ad Comœdiam habet, ut ad Tragœdiam Ilias, atque Odyssea. Alij uero pro uniuscuiusque ingenio impulsi, ad alteram tantum poëticæ huius partem animum applicuerunt. sicq; non nulli loco iamborum, comici: non nulli loco hexametrorum, tragici: ut qui circa sublimiorem honoratiorémue dicendi characterem uersati sint, Tragœdiæ doctores extiterunt. An uerò Tragœdia, quatenus attinet ad ipsa genera, satis adhuc sit absoluta, nec ne, cùm id per

id per se iudicando, tum ad theatra referendo, alia consyderandi ratio est. Cùm igitur à principio rudes essent, planeq; informes Tragœdia atque Comœdia, illa quidem ab ijs, qui Dithyrambum, hæc autem (quantum se ipsa aperiebat) ab ijs qui Phallica produxerunt: quæ nostra etiam tempestate in urbibus non paucis in consuetudinem ex lege recepta sunt, paulatim auctæ fuere. Sicq; Tragœdia diuersis mutationibus uariata, quoàd proprios numeros impleret, tandem quieuit. Tunc enim histrionum numerum, ex uno uidelicet in duos. Aeschylus primus auxit, & ea, quæ circa chorum sunt, imminuit, sermonemq; primarum partium instituit : quos Sophocles ipse cum scenæ ornatu ad tertias usque produxit. Ad hæc ad magnitudinem ab exiguis fabulis, & ab ridicula dictione satyris exclusis ad grauem habitum prouecta, serò tandem quieuit, senariumq; metrum ex octonario adoptauit. hoc enim antea metro utebantur, quòd satyrica, magisq; saltatoria poësis esset. Itaque elocutioni iam constitutæ natura ipsa proprium adinuenit metrum. Maxime enim sermonibus aptum alternis iambicum esse, argumento sit, quòd in disserendo plurimi sanè iambi, rarißima uerò exametra mutuò in sermone à nobis proficiscuntur . licet etiam colloqui ipsius harmoniã excedentibus. ad hæc Episodia quoque plura, cæteráq;, ut singula exornata fuisse dicuntur . De his igitur satis: nimis enim fortasse operosum sit, in singulis immorari. Comœdia autem est (ut diximus) peciorum quidem imitatio, non tamen secundum omne uitij genus. quanquam ridiculum à turpi proficiscatur. Ridiculum enim aliquo pacto peccatum est, & turpitudo sine dolore, minimeq; noxia: perinde ac ridicula statim appareat deformis

formis facies, distorta, sine dolore. Igitur de promotione Tragœdiæ, & per quos, satis constat: secus uerò de Comœdia: siquidem initio, quòd parum sui studiosos habuerit, latuit: serò enim ab Archonte comœdorum chorus, ut quisque sese obtulisset, inductus est. Eius uerò professores, ubi iam aliquam speciem præ se tulit, memorantur. Quis autẽ personas, prologos, histrionum multitudinẽ, cæteráq; huiusmodi protulerit, prorsus obscurũ. Cæterũ cõfingere fabulas, quod quidẽ à Sicilia primũ manauit, Epicharmus, & Phormis cœperunt: sicuti quoq; ex Atheniẽsibus Crates iambica prorsus ratione omissa, in uniuersum sermones, uel fabulas confinxit. Itaque Tragœdiæ Epopæia duntaxat similis esse apparet, quòd metrico sermone præstantium imitatio est. hoc differt, quòd simplici utitur metro, quodq; enarratio est, longitudine præterea: quoniam Tragœdiæ quidem intra unius potissimum solis, uel paulò plus minúsue periodum actio est: quandoquidẽ Epopæia temporis spatio non urgetur. qua sanè libertate in Tragœdijs perinde ac in hexametris à principio usi sunt. Circa uerò partes ut hæ ambæ in aliquibus inter se non discrepant: ita propriæ non nullæ, atq; peculiares huius sunt. Quò fit, ut qui de Tragœdiæ uirtute, ac uitio dijudicare nouerit, idẽ quoque & de hexametris nouerit: siquidem quæ hexametrorũ sunt, in Tragœdia prorsus inesse apparet: quæ uerò Tragœdiæ, in his non omnino. De hexametri igitur imitatione, atque Comœdiæ pòst dicemus. nunc autem de Tragœdia: cuius essentiæ definitionem, ueluti iam enatam ex his quæ dicta sunt, iterum sumentes, hanc esse dicimus. Tragœdia est imitatio actionis illustris, absolutæ, magnitudinem habentis,

sermone suaui, separatim singulis generibus in partibus agentibus, non per enarrationem, per misericordiam uerò atque terrorē, perturbationes huiusmodi purgans. Sermonem suauem appello, in quo numerus, harmonia, & melos inest: id uerò seperatim genere distinctum: cùm metro tantùm quædam absoluantur, quædam rursum melodiâ. Quoniam uerò tota imitatio in actione uersatur, primum quidem apparatum ipsum, partem Tragœdiæ ponere necesse est, mox melodiam, & dictionem: utpote ex quibus imitationem conficiant: dictionē appello illam quidē metrorum compositionem: melodiam, cuius omnino uis per se ipsa satis apparet. Sed quoniam actionis imitatio est agiturq; ab agentibus quibusdam, quos tum moribus, tum sententia tales esse omnino oportet, sicuti quoque & actiones aliquas esse tales dicimus: manifestum est harum actionum duas esse causas, sententiam & mores: per quas planè uel uoti compotes, uel minime compotes omnes fiunt. Ad hæc actionis imitatio fabula est. Fabulam uerò rerum ipsam cōpositionem appello: mores, secundū quos agentes tales esse dicimus: sententiam, ex quocunque dicentes uel aliquid declarant, uel mentem propriā aperiunt. Necesse est igitur cuiuslibet Tragœdiæ sex esse partes, secundum quas talis esse nuncupetur. Hæ uerò sunt, fabula, mores, dictio, sententia, apparatus, melodia. Quarum duæ ad ea pertinent, quibus imitamur: una tantum ad id, quo pacto imitamur: cæteræ uerò tres ad ea, quæ imitamur: præter has, nulla. His itaque illorū non pauci partibus (ut sic dixerim) utuntur. etenim & apparatum totum ipsum continet, mores uidelicet, fabulam, dictionem, melodiam, sententiamq; similiter. Horum uerò maximum est, rerum constitutio:

stitutio: cum non hoīm imitatio sit Tragœdia, sed actionis, atq; uitæ, tū feliciatatis infeliciatatis ue. Quippe felicitas ab actione pendet: finisq; ipse, actio quædā est, non qualitas. Aliqui uerò per mores fiunt tales: at per ipsas actiones, sanè felices uel infelices: Non ergo ut imitentur mores, in actione uersantur: sed per actiones mores complectuntur. Quapropter actiones, & fabula, Tragœdiæ finis esse dicuntur: omnium autem maximum, finis est. etenim sine actiōe Tragœdia quidem fieri non potest, sine moribus potest: siquidem iuniorum non paucæ, morum expertes inueniuntur. Tum poëtarum plerique tales omnino sunt: ut etiam ex pictoribus Zeuxim à Polygnoto differre dicimus. Polygnotus enim morum optimus expressor fuit: cōtrà Zeuxidis pictura mores minime referre uidebatur. Si quis prætereà ordine moratos sermones, dictiones, sententiasq; bene formatas afferat, non quidem penitus negocium, quod est ipsius Tragœdiæ proprium, assequetur. id quod illa Tragœdia multò melius præstiterit, quæ talibus utetur, perinde ac secundo loco necessarijs: cum iam fabulam rerúmq; contextum habuerit. Ad hæc, quibus maxime mortalium animos Tragœdia delectat, Fabulæ quidem partes peripetiæ, id est, euentus in contrarium, & agnitiones sunt. Eius prætereà rei signum est, quòd qui conficere aggrediuntur, exactum illud nō antè queunt dictione, atque moribus attingere, quàm actiones constituerint. id quod ueteres poëtarum fermè omnes facere consueuerunt. Est igitur principium, ac uelut anima Tragœdiæ fabula: secundo uerò loco mores: in quo etiam picturæ simulis esse apparet: si quis enim fucis pulcherrimis tabulam fusim illinat, non æquè sanè delectabit, ac si imaginem albo tantùm

tùm distinxerit. Itaque actionis imitatio est tunc per hanc potissimum agentiū. Tertio sequitur sententia. hæc autem est, posse explicare, quæ instant, atque quadrant: id quod in soluta oratione facultatis ciuilis, atque Rhetoricæ proprium munus est. sanè ueteres ciuiliter dicentes confingebant, nostri uerò Rhetoricè. Mos uerò talis est, quo uidelicet qualis uoluntas sit in his rebus, in quibus non satis liquet, sectetúr ne quid, an fugiat ipse dicens, declaratur: quò fit, ut sermones interdum moribus careant. Sententia in his uersatur, quæ quo modo aliquid est, uel non est, ostendunt, uel uniuersè enundant: Quarto, sermonum dictio. appello autem, quemadmodum diximus à principio, Dictionem, per uerba sensus explicationem: id quod in metris æquè ac in soluta oratione eandem uim habet. Reliquarum uerò quinq; partium sic Melodia suauissima est, ut spectaculum gratissimū. quod tamen nec artificiosum est, nec ipsius Poëticæ proprium. siquidem Tragœdiæ uirtus extra quoque scenam, ac sine histrionibus consistit. Ad hæc ars struēdorū apparatuū propria magis chorago, quàm poëtis est. His absolutis, deinceps dicendum, qualem omnino esse deceat rerum contextum. Hoc enim primum, maximumq; in Tragœdia est: propositumq; semel nobis, Tragœdiā imitationē esse actionis perfectæ, totiusq; magnitudinem quidē aliquam habentis: siquidem & totum datur magnitudine carens. totum uerò est, quod principium, medium, atque finem habet. Principium illud esse dicimus, quod non necessariò post aliud est: contrà, posterius aliquod esse, uel fieri natum est. Finē, huic contrarium, illud ipsum, quod post aliud natū est, esse necessariò uel plerunq;. Medium, quod aliquo posterius, aliquo prius est. Decet autem ritè

ritè cōtextas fabulas minime temere undelibet initiū sumere: nec itē temere ubilibet terminari: uti uerò semper, suprà dictis partibus. Ad hæc pulchrū siue aīal, siue quodcunq; ex aliquibus cōpositū, nō ordine tantū, uerūetiā cōgruēti magnitudine cōstare debet, siqdē ex magnitudīe, ordineq; pulchrū oritur. Nam sicuti fieri nō potest, ut pexiguū oīno aīal pulchrū appareat: quādoquidē quæ in insensibili tēpore speculatio fit, cōfūditur: pari ratiōe nec illud, q̄ oīno sit pmagnū: ipsa.n. speculatio simul fieri nō potest: illudq; totū, & unū è cōtēplantiū cōsyderatione potius elabitur: ceu si decē miliū stadiorū esset aīal. Quapropter sicuti tū in corporibus, tū in animātibus magnitudinē inesse decet, eā dico quā probè oculis usurpemus: ita & in fabulis longitudo inerit, quam quidem memoriâ facile complectamur.

Longitudinis autem præfinitio, quantum ad ipsos ludos, planeq; ad sēsum spectat, minime artis est. Etenim, si in ludis haberi centum Tragœdias opus fuerit, utiq; ad Clepsydram, ut olim non semel factitatum dicunt, haberi poterunt. Quæ uerò secundum actionis naturā fuerit, illa quidem semper, quæ longius protrahetur, donec tota simul in aperto sit, in magnitudine quidem decentior erit. Vt autem simpliciter præfiniamus quantam esse fabulam uel deceat, uel necesse sit: cum sanè dicimus legitimum huic fore magnitudinis terminum, cum siue ad commodam fortunam ex incommoda, siue ex commoda ad incommodam perpetua serie mutata fuerit. Vna namque est fabula: non autem (ut nonnulli putant) si circa unum aliquem sit. Multa enim, minimeq; determinata genere accidunt: ex quibus sanè quædam nullum constituunt unum: simili ratione unius multæ actiones sunt, ex quibus una nunquam actio fiet.

Quapropter omnes hi peccasse uidentur poëtæ, quicunq; uel Heracleida, uel Theseida, cæteraq; id genus poëmata confinxere: ut qui, unus cum sit Hercules, unam quoq; ipsius debere esse fabulam, existimauerint. Homerum uerò, qui ut in alijs etiam excellit, ita in hoc quoque, siue id artis, siue naturæ fuerit, oculatissimum fuisse apparet: quandoquidem Odysseã confingens, non sanè cuncta, quæ Vlyxi acciderunt, in eam compegit: uerbi gratiâ: saucium fuisse in Parnaso, & in ducum collectione simulasse insaniam. Quorũ cum alterum euenerit, minime necessarium fuit, uel uerisimile, euenisse alterum. quippe qui unam duntaxat actionem qualem dicimus, Odysseam uidelicet, itemq; Iliadem constituit. Decet igitur quemadmodùm una unius imitatio est in alijs imitatricibus artibus: ita & fabulam, uidelicet, quæ actionis imitatio sit, unius eiusdemq; integræ esse, sicq; rerum inter se partes cohærere, ut ne ulla quidẽ uel transferri, uel subtrahi queat, quin totum illud uarietur planeq; immutetur. Quod enim uel additum, uel subtractũ, totum non immutare uidetur, nulla quoq; eius erit pars. Sanè constat ex supradictis, non poëtæ esse, facta ipsa propria narrare: sed quemadmodum uel geri quiuerint, uel uerisimile, uel oĩno necessariũ fuerit. Haud enĩ historicũ, atque poëtam carmen, & soluta oratio designant. Quippe (quod alioqui facile factu sit) si Herodoti historia carminibus pangatur, æquè nihilominus, ac priùs sine carmine, erit historia: sed hoc differũt, quòd hic quidẽ res gestas, ille ut geri potuerunt, exponit. Quò fit, ut sapientius atq; præstantius poësis historiã sit: siquidem illa circa ipsum uniuersale plurimũ uersatur: hæc uerò singulare sectatur. Est autem uniuersale, quæ cui conueniat, dicere, uel facere

facere, uerisimiliter quidem, seu necessariò, id quod spectat poësis, cum nomina imponat. Contrà singulare, quid ipse Alcibiades fecerit, tuleritue. Iam uerò & apud comicos id manifestum: ut qui fabulas ex uerisimilibus constituentes, nomina interim pro arbitrio comminiscantur, non quidem ipsa singularia quemadmodùm iamborum compositiones facere solent: in Tragœdia autem uera nomina retinentur: cuius ratio est, quoniã credibile quidẽ illud est, quod fieri potest: quæ uerò nondum facta fuisse scimus, fieri quidem posse parum credimus: quæ uerò facta, fieri certò potuisse ambigit nemo: nam si fieri nequiuissent, nunquam profectò extitissent: cum tamen Tragœdiarum aliquæ sanè ex notis nominibus, uno uel duobus ad summum assũptis, reliqua deinceps cõfingant: aliquæ rursus, quemadmodum Agathonis flos, planè omnia: in quo, tametsi cum nominibus res ipsæ pariter confingantur, nihilominus delectant. Quare non omnino quærendum est, ut uulgatæ fabulæ, in quibus Tragœdiæ sunt, ad unguem retineantur: idem quærere ridiculum esset: quandoquidem illæ etiam sic notæ, paucis quidem cum notæ sint, iuxtà tamen cunctos delectant. Ex his igitur patet poëtam fabularum magis quã carminum, esse poëtam, ut qui semper circa imitationẽ uersetur: actiones uerò imitatur. Si igitur & in ea quoq; quæ uere prius fuere, fingendo incidat, non propterea à poëta discedet: quandoquidem ex his quæ gesta sunt, aliqua quidem eiusmodi esse nil prohibet, cuiusmodi uel extitisse uerisimile sit, uel certe fieri potuerint: secundum quæ sanè horum poëta fuerit. Cæterũ simpliciũ fabularum, actionúmue Episodicæ quidẽ deterrimæ. Episodicam appello, in qua non uerisimiliter neque necessariò mutua episodia

nectantur. fiunt autem hæ tum ab ineptis uatibus, suo uitio tum à probatis quoque histrionum, gratiâ. Etenim in huiuscemodi certaminibus, dum fabulas plus æquo sæpenumerò producunt, legitimam ordinem peruertere coguntur. Quoniam autem imitatio non tantùm perfectæ actionis, uerum etiam miserabilium, terribiliúmue est, hæc autem maxime talia erunt, potißimumq; pollebunt, quotiescunq; per se ipsa inuicem admiranda illa accident: nimirum hoc pacto admirabile magis sese offert, quàm si à casu, uel à fortuna proficiscä appareat. siquidem in his etiam, quæ à Fortuna proueniunt, illa quidem maximam admirationem præ se ferunt, quæ ueluti suopte impulsu prouenire uideantur: ut in Argo Mityi statua, quæ super inspectantem collapsa, authorem Mityi necis interficit. Eiusmodi enim hæc sunt, ut non temere facta esse opinemur. ideoq; pulcherrimas tales fabulas euadere necesse est. Fabularum aliæ simplices, aliæ implexæ: quemadmodum & actiones, quarum imitationes sunt ipsæ fabulæ, talem illicò speciem præ se ferunt. Simplicem actionem uoco, in qua quidem (ut definitum est) continua una, absq; peripetia, agnitionéue agendo fit mutatio: implexam, quæ uel agnitione, uel peripetia, uel etiam utraq;. Hæc uerò in ipso rerum contextu ita astruenda sunt, ut ex his quæ priùs acta fuerint, necessariò sequi, aut certe uerisimiliter agi uideãtur. Multũ enim differt, fiãt hæc p hæc, an ex his. Peripetia est eorũ quæ aguntur (quemadmodũ dictum est) in contrariũ mutatio. id autem (sicuti docuimus) aut uerisimiliter, aut necessariò fit: ut in Oedipode. accessit enim ille delectaturus Oedipodẽ, eandemq; parentis incestandæ timore liberaturus: quis aũt esset, ubi ostendit, contrariũ effecit. In Lynceo quoq;

quoq; ductus ille quidem est, ueluti mox immolandus. Danaum contrà subsecutus, ut immolaret: sed accidit ex his quæ patrata sunt, ut hic necem, ille salutem sit assecutus. Agnitio est (ut etiam ex nomine liquet) ex ignoratione in notitiam ad amicitiam, uel inimicitiam illorum mutatio, qui seu felices, seu infelices determinantur. pulcherrima āt fit, si cum peripetia fuerit: ut in Oedipode. Sunt profectò & aliæ agnitiones. nam tum inanimatorum, tum quorumcunq;, ut accidit, fiunt: si quando (ut dictum est) euenit, ut siquid patrarit quis, uel non patrarit, agnoscamus. illa tamen, quæ potißimum à fabula, quæue ab actione pendet, est, quā diximus. Etenim huiusmodi agnitio, atq; peripetia, uel misericordiā, uel metum parabit. receptum aūt est, actionum imitationem esse Tragœdiam: fortunatumq; insuper seu miserum fieri ex his contigerit. Quoniam uerò agnitio quorundam agnitio est, alia quidem alterius ad aliam tantum fit: cum, quis hic sit, illi notus est: alia rursus mutua indiget notitia: ut Iphigenia ex epistolæ illius missione ab Oreste quidem agnita: ut tamen ipsum agnosceret alia quoq; agnitione opus fuit. Partes igitur hic fabulæ duæ habentur, Agnitio, & Peripetia: tertia superest Perturbatio. nam de Peripetia, & Agnitione satis diximus: Perturbatio uerò actio est letifera, seu dolore plena, ueluti cū neces, cruciatus, uulnera, cæteráq; generis huius palàm fiūt. Cæterū Tragœdiæ partes, q̄bus tanquā formis uti nos oportet supius exposuimus: secūdū uerò quātitatē discretā, atq; in quas secatur, sigillatī hæ sūt: Prologus, Episodiū Exodus, Choricū: choriā uerò alterū mobile, alterū stabile sanè cunctis hæc oībus cōmunia: propria uerò ea, quæ ad scenā ptinēt, & cōmi. Prologus est pars Tragœdiæ iusta,

ante

ante chori ingressum: Episodium, pars item iusta Tragœdiæ, inter choricos perpetuos cantus: Exodus, iusta pars Tragœdiæ, postquam nullus deinceps est chori cantus: Choria uerò ingressus, chori integri prima locutio: Stabile, sine Trochæo, & Anapesto cantus: Commus, siue planctus, est luctus chori communis cum ijs, qui in scæna sunt. Partes igitur Tragœdiæ, quæ quasi formæ habendæ sunt, superiùs explicauimus: rursus secundum quantitatem discretam, & in quas secatur, singillatim quoque diximus: deinceps uerò quæ fabulas texentes sectari, contrà quæ uitare oporteat, tum uerò à quibus locis Tragœdiæ ipsius opus ducatur, supradictis addendum. Quoniam igitur Tragœdiæ pulcherrimæ compositio, non quidem simplex esse debet, sed implexa, eademq; terribilium, miserabiliúmue imitatrix: id quod profectò imitationis huiusce proprium est: primum quidem satis apparet, minime decere, bonos & æquos uiros ex felicibus infelices factos, in scænā afferre: ut quod terrificū, miserandiue nihil habeat, sed scelesti: Pariq; ratione ab aduersa fortuna ad secundā prouectos, prauos effingere. hoc enim omnium à Tragœdia maxime alienum, ut quod rerum, quæ requiruntur, expers omnino sit, humanitatis dico, nedū terrificū, atque miserabilis: Sed nec omnino improbos ex secunda fortuna in aduersam lapsos. quandoquidem talis compositio, quæ alioqui humanitatem præ se ferre potest, miserandi aut terrificū planè nihil habet. Vt enim immerentis misericordiam excitat, ita terror à simili incutitur. Quò circa cùm nec miserandi, nec terrifici quicquam ab his proueniat: reliquum est, ut ad hæc maxime idoneus is habeatur, qui medius inter tales sit. Is autē erit, qui nec uirtute, nec iustitia antecellat, minimeq;

per uitium, prauitatémue in ipsam infeliciatem lapsus fuerit, uerũ humano quodã errore, ex magna quidẽ existimatione, atque felicitate: quẽadmodum Oedipus, Thyestes, cæteriq; ex huiusmodi generibus illustres uiri. Necesse est igitur pulchram fabulam constare magis ex uno hoc genere, quàm ex duplici, ut non nulli putant: cuius quidem ex miseria ad felicitatem mutatio non fit: sed contrà ex felicitate ad miseriam, errore sanè non leui, minimè uerò per dedecus, ex illo quidem uirorum, de quo dictum est genere: quódue potius ad meliores, quàm ad deteriores spectet. Huius autem rei indicium sit usus. etenim iam inde ab initio poëtæ, quascunque nacti essent fabulas, admittebant: nunc autem pulcherrimæ circa paucas omnino familias componuntur: ut sunt Alcmæonis, Oedipodis, Orestis, Meleagri, Thyestis, Telephi, cæterorumq; generis huiusmodi: quibus uel facinora quidem grauia perpetrasse, uel ipsos tulisse cõtingit. Erit igitur pulcherrima illa Tragœdia, quæ ex huiusmodi compositione constiterit. Quamobrem illi quidem decipiuntur ob id ipsum, quo Euripedem damnant, ut qui in tragœdijs suis illud obseruet, earumq; plures in infelicitate terminentur. id quod omnino, ut diximus, ex arte est. Argumento uerò illud sit maximo, quòd in scenis, atq; adeo in certaminibus, hæ si rectè recitentur, maxime quidẽ tragicæ apparent: Euripedesq; ipse, tametsi aliqua parũ rectè dispẽset, omniũ tamẽ poëtarũ maxime tragicus uideri potest. Secundo loco sequitur, quæ à non nullis in primo collocatur, illa ex duplici genere cõposita: quò ex ordine Odyssea est: ut quæ diuersa ratione, partim ex præstantioribus personis, partim ex humilioribus constet. huic sanè primas tribuit theatralis imperitia. Quippe uates

uates hanc auram sequuntur, componentes quidem ad uota spectatorũ: cæterum uoluptas illa non Tragœdiæ, sed Comœdiæ propria est, in hac enim si qui, uelut Orestes & Aegisthus, secundum fabulam, inimici fuerint, reconciliati tandem inter se amicitia, neuterq; ab altero obtruncatus discedet. Terrificum uerò illud, atque miserandum cum ab apparatu scenæ proficiscatur, tum à rerum compositione: id quod multò præstantius, meliorisq; uatis est. Sic enim fabulam cõtexuisse oportet, ut etiam sublato spectaculo quisque geri contigerunt, percipiens planè, exhorreat misereaturue: quibus apprime duobus, qui fabulam Oedipodis cognouerit, afficietur. Illud autem quod ad spectaculũ pertinet, minus sanè operosum est & impendio indiget. proinde, qui non terrificũ illud, sed portentosum duntaxat spectaculo exhibẽt, alieni prorsus à Tragœdia habendi sunt: quippe delectatio non omnifariàm à Tragœdia, sed quæ tantum propria ei fuerit, quærenda est. Quoniam autẽ à timore, misericordiáue talem delectationem per imitationem poëta parare debet, satis quidẽ apparet in ipsis rebus id esse inserendũ. De rebus itaq; contingentibus, quæ terrifica, quæ ue miserabilis speciem allaturæ sint, deinceps dicere aggrediamur. Necesse autẽ est huiusmodi actiones uel amicorũ inuicem, hostiũ siue etiam neutrorũ esse. Itaq; si hostes hostẽ obtruncet, obtruncaturúsue sit, nequaquam miserabile illud, præterquam necis ipso affectu assequetur: idq; sequetur, si inter neutros id accidat. Perturbationes uerò ipsæ, quãdo euenerint inter necessarios, ueluti si frater fratrẽ, filius patrẽ, mater filiũ, filius matrẽ uel necet, uel necaturus sit, aut etiã tale quid facinus patret, patraturúsue sit, captandæ sunt. Proinde receptas fabulas mutare non licet:

licet:uerbi gratiâ, Clytemnestram ab Oreste extinctam, Eriphilē ab Alcmæone:quas sanè inuenire,atq; susceptis iam,rectè uti oportet. Id autē,quod diximus,rectè,exa-ctiùs declarādū.Fit enim interdū sic ipsa actio,quod anti-qui obseruabāt,pinde ac ab sciētibus & agnoscētibus:ut Euripides fecit:q filios necantē Medeā induxit. fit etiā ab ignorātibus quidē uim facinoris,agnituris uerò mox necessitudinē:qualis Sophocleus est Oedipus.id quod ōnino est extra Tragœdiā:in Tragœdia uerò ipsa ut Alcmæonem Astydamas,Telegonúsue in Vlyxe uulnerato. Tertius prætereà modus est,p ignorantiā:uidelicet debere aliquē hæc facinora patrare,inter patrādū uerò agnoscere.præter hos,nullus est alius:siquidē quid agi,uel non agi idq; à scientibus,uel nesciētibus necesse est,è quibus facinus prudentē aggredi,minime uerò perficere est absurdū:cū non tragicū quidē,uelut pturbationis expers,sed omnino scelerosū præ se ferat.Quò fit ut huiusmodi actionem sequatur nemo,uel certe rarißima sit inuentu,ut in Antigone Creontē Aemo facit. Proximū huic erit,scelus patrare:quo sanè potius est imprudētē quidē patrare,patrātē uerò agnoscere.etenim & à facinore scelus abest:& ipsa planè agnitio stuporis est plena.Nouißimū uerò præstātißimū est:exēpli gratia: in Cresphonte Merope filiū interficere debet, non autē interficiāt:ita etiā & in Iphigenia,soror fratrē:in Helle,filius matrē,abalienaturus agnoscāt. Quapropter (sicuti iāpridē diximus) multarū familiarū Tragœdiæ nō sunt:siquidē quærētes nō ab arte quidē,sed à fortuna mutuati sunt ita fabulas cōtexere. Itaque fit ut inuiti cogamur ad easdē sæpius familias recidere: quibus uidelicet huiusmodi perturbationes contigere. Igitur tum quales esse fabulas

oporteat

oporteat, satis iam dictum. Quantum ad mores, quatuor sanè sunt, quæ indigent consideratione: eorũ unum, idq; primum est, ut probitatẽ præse ferant. utcunque enim mos inerit: si, quemadmodũ dictum est, tũ sermo, tum actio animi propositum, qualecũq; fuerit, indicauerit: improbus quidẽ, si improbũ: probus, si probũ: id uerè inest, ĩ unoquoq; genere. Nã & mulier proba est, & seruus: tametsi fortasse hoc deterius, illud omnino improbum sit. Secundo loco sequitur, ut conuenientes sint. Fortitudo enim mos est: sed esse uel fortem, uel prudentem, utique mulieri non conuenit. Tertio, ut constent sibi. est enim separatum hoc ab eo, quod est præse ferre per mores probitatem, conueniẽsq; seruare. Quarto, ut æquali tenore procedant. Quanqnam enim histrio, ut qui talem personam induerit, inæqualis appareat, omnino tamen illa inæquabilitas, æquabiliter perpetuò regenda. Exemplũ improbi moris sit, alioqui minime necessariũ: uerbi gratiâ, in Oreste Menelaus: indecori, atq; inconuenientis, Vlyxis eiulatio in Scylla, Menalippesq; sermo: inæquabilis, Iphigenia in Aulide, ut cui posterior supplicatio priori non consonet. Et sanè in moribus, sicut in ipsa rerũ cõpositione, tum necessariũ, tum uerisimile exquirendum est: atque etiam uti necessariò uerisimiliue ordine cuncta procedant. Quare manifestum est, fabularum solutiones ex ipsismet potissimum fabulis proficisci debere, non autem ab aliquo artificioso: ut in Medea, & in Iliade illa per nauigationem. Quo sanè artificioso utendum in ijs, quæ extra Tragœdiam sunt: quæcunq; uidelicet uel prius fuere, quæ neutiquàm fieri potest, ut alio pacto ad humanam peruenerit notitiam: uel quæ futura denunciatione, diuinationeue indigeant: quandoquidem Deos cuncta inspicere,

spicere, satis quidem apud nos constat. quodcunque uerò rationi consentaneum minus sit, explodendum quidem ab ipsis actionibus, si non prorsus, at à Tragœdia, ut est in Sophoclis Oedipode. Cum uerò Tragœdia, præstantiorũ imitatio sit, par fuerit quoque nos ab excellentiũ pictorum more non discedere: qui dum proprias, uerisq; similimas imagines referre student, pulchriores sanè depingũt: ita poëta etiã iracũdos uidelicet, desidesq; dũ imitatur huiusmodiq; alia circa mores habentes, probitatis quidem atque iracundiæ sibi exemplum proponere debet, uelut fortem Achillem: ut ipse Homerus. Hæc profectò seruare oportet, insuperq; sensus ipsos, qui Poëticam consequũtur: præter illa, quæ necessaria sunt. Etenim in his fallimur sæpenumerò, sed in sermonibus iam editis satisdictũ de his. Sanè quid sit agnitio, superius declarauimus. nunc uerò de ipsius generibus: Primum quidem, ut est minime artificiosum, ita à plurimis usurpatum, aut per dubitationem fit, aut per signa. horum rursus, ingenita aliqua, uerbi gratia, lancea, quam Terrigenæ gestare solent, uel astra, qualia in Thyeste Carcinus: aduẽtitia aliqua, sed hæc uel in corpore, ut p cicatrices: uel extrĩsecus, ut p monilia, p torques, et, ut ĩ Tyro, p scaphã. Possumus ãt melioribus his uti, itẽq; deterioribus: uerbi gratia, ex cicatrice quidem Vlyxes agnoscitur: non tamen eodem modo à nutrice, & à subulcis: quãdoquidem hæc fidei faciendæ gratiâ, artificij sunt expertia, cæteráque huiusmodi. Quæ uerò ex peripetia, qualia in Niptris, meliora, ordine huic proxima sunt. Quæ, quoniam à poëtis confinguntur, artificio non carent: qualis in Iphigenia Orestes: qui & sororem agnouit, & agnitus ab ea est: agnouit quidem ex epistola: agnitus autem ex

indicijs,

indicijs. Hæc itaq; pro arbitrio poëta profert, non ipsa fabula.ideoq; in peccatum supradictum facilè lapsum habent:quippe non nulla afferre permissum est:ut ut in Sophoclis Thereo radij uox. Tertium per reminiscentiam fit, dum spectando aliquid, in animum quid reuocamus: quemadmodum in Dicæogenis Cyprijs, picturam quidem ille inspiciens ingemuit: & in sermone apud Alcynoũ audiens citharœdum Vlyxes,ex recordatione fleuit,uel agnitus est. Quartum per syllogismum:ut in Chloëphoris: quòd similis quidam accessit: similis autem præter Orestem nemo:Orestes ergo accessit.tũ quod Polyïdis de Iphigenia est:uerisimile est enim,ratiocinatum fuisse Orestem: quòd cum immolata soror fuerit,sibi quoq;,ut immoletur cõtingere.tale est illud in Theodectæ Tydeo ueniens ille, quasi natum inuenturus extinguitur: & in Phœnissis, quæ locum conspicatæ,instare sibi fatum propterea commentæ sunt: quoniam in fatis haberent,ibi debere mori : etenim in eo fuerunt expositæ.Huic & adiungitur illud,quod in theatro per paralogismum fit: exempli gratiâ:In Vlyxe falso nuncio: hic quidem arcum cogniturum se dixit, ille uerò tanquam arcu cognoscendo ab eo.propterea paralogismum facit.Omnium uerò optima ex parte rerum Agnitio est, à qua uidelicet ex uerisimilibus admiratio ipsa paritur.qualis illa in Sophoclis Oedipode,et in Iphigenia. Siquidem uerisimile est literas hanc mittere cupiuisse. Huiusmodi enim solæ absque ullo uel impresso signo,aut etiam extrinsecus,ut monile,fiũt: ab his uerò probantur,quæ ex syllogismo. Cæterùm constituere fabulas oportet,& ita eas elocutione construere,ut quàm maxime rem ante oculos ponant.sic enim quæ manifestissima fient poëta inspiciens,

ens,perinde ac rebus,dum aguntur,intersit,cum decorum ipsum inuenerit, tum pugnantia minime illum latere poterunt:argumento sit illud, quod Carcino uitio datur:etenim Amphiaraus è templo exibat:id uerò, cum non uideret spectator, obscurũ fuit.cecidit autem hic à scena,cunctis ob id spectatoribus indignantibus. Proinde quantum fieri potest,fingendum illud, quod ex habitibus naturalibus paratur.quandoquidẽ hi maxime suapte natura persuadent,qui perturbationibus affecti sunt.Quòfit,ut exagitatus exagitet,perturbetq; uerißimè perturbatus. Quapropter uel uersatilis ingenij uiri,uel furore percitι poëtica est.etenim poëtarum aliqui ab ipsa natura ad poëticam bene formati sunt:aliqui autem à mente abstrahũtur. Cæterùm confictos sermones oportet etiam confingentem ipsum uniuersè explicare,moxq; Episodijs ad hunc modũ uti,ac rem diducere. Ad hunc uerò modum uniuersale illud speculari oportere dico:uerbi gratiâ:Iphigenia constituta ad aras quædam uirgo,atque ex oculis sacrificantium clàm surrepta,delata uerò in aliam regionem,in qua deæ, hospitum sacrificia ex lege debebantur,eius sacri ministerio ipsa præposita est:procedente tempore,sacerdotis fratri illuc accedere contigit:cur autem contigerit,ut ipsũ deus ob quandam culpam uenire illuc impulerit, extra uniuersale est:quorsũ uerò,extra fabulã.itaq; cum accessisset,captus,ĩmolãdusq; mox,sororẽ agnouit:siue ut Euripides finxit,siue ut Polyides,ex uerisimilibus locutus:quod non modò sororẽ,uerũ & ipsũ sacrificari oportebat:unde quidẽ salus parta est. Quo facto,nominibus statim substitutis,Episodia aggredienda:sed hæc quo pacto legitima sint,sanè cõsiderãdũ:ueluti furor ĩ Oreste,propter quẽ captus est,

C salusq;

salusq; per expurgationem. In dramatibus itaque, siue actibus, Episodia ipsa breuia esse debent: contrà in his longior Epopœia fit: nimirum Odysseæ longus est sermo. Per multos annos peregrè quidã cum iret, & à Neptuno obseruatus, & à cunctis relictus, ita rebus ipsius domesticis cõstitutis, ut fortunæ omnes à procis absumerentur: filioq; insidiæ iam instarent, iactatus pelago domũ peruenit: cumq; aliquos agnouisset, illos aggressus, ipse quidẽ sospes euasit, inimicos autem perdidit. Hoc itaq; proprium eius poẽmatis est. nam cætera ad Episodia pertinent. Vniuersa uerò Tragœdia partim connexione, partim solutione cõtinetur, quæ extra sunt, & aliqua prætereà, quæ intra habẽtur, plerunq; connexio continet: reliqua uerò solutio. Connexionem appello, totum id, quod à principio ad ultimam usque pertinet partem, ex qua mutatio fortunæ fit: solutionem, à mutationis principio, ad finem usque: ut in Lynæo Theodectæ, in quo connexio quidẽ, acta prius, natiq; captiuitatem continet: solutio à mortis accusatione ad extremũ usque. Quatuor autem Tragœdiæ sunt genera, totidem quoque & partes dictæ: quorũ sanè complicatum illud dicimus quod omnino ex peripetia, atq; agnitione constat. Patheticum ut Aiaces, atque Ixiones: Moratum, Phthiotidas, & Peleum, Quartum, ueluti Phoradas, & Prometheum: quæcunq; insuper, quæ apud inferos sunt. Quare magnopere poëtis conandum, ut horum omnium quàm locupletes sint. quòd si omnium minus queant, saltem principalium, atque quamplurimorũ: eoq; etiam enixiùs, quo ad taxandos poëtas hæc ætas in tantum prona est, ut quos in omnibus his partibus probandos nouerit, in singulis etiam mirum in modum excellere æquum censeat: Minime uerò

fortasse

fortasse conuenit eandem Tragœdiam, siue diuersam appellare à fabula. id quod earum ipsa quidem connexio, atque solutio indicauerit: cæterùm non pauci egregiè nectentes ineptè soluũt. Oportet autem ab utraq; parte plausum iugiter excitare: illudq; cum primis cauere, ne contextũ Epopœiæ proprium, in Tragœdia confingamus. talè uerò esse dicimus, qui complures contineat fabulas: exempli gratiâ: si quis totum illud Iliadis unica uelit cõplecti fabulâ. ibi etenim propter poëmatis longitudinem partes ipsæ cõgruentem suscipiunt magnitudinem: in actibus uerò multò præter id, quod susceptum negociũ exposcât, longiores euaderent. Cuius rei signum id esse potest, quòd hi qui totum Ilij excidium simul composuere, ac non potius singulas separatim partes, sicuti Euripides Medeam, uel Niobem (quod Aeschylus minime obseruauit) uel prorsus cadunt, uel certe infeliciter certant. siquidem propter id unum cecidit Agathon: tametsi tum in peripetijs, tum in simplicibus actionibus hi quidem suum mirabiliter propositum assequantur. Etenim tragicum, atq; humanum est, cum sapiens, idemq; prauus, ueluti Sisyphus deceptus fuerit: siue fortis, idemq; iniustus superatus. uerisimile enim est, ut Agathon asserit. quandoquidem multa præter ipsum uerisimile accidere, à uerisimili non discrepat. Chori summam penes unum duntaxat ex histrionibus esse oportet, totiusq; partẽ esse: uti autem concertationibus, non sicut apud Euripedẽ, sed sicut apud Sophoclem: reliquis uerò cõcessa potius ea sint, quæ ad susceptã pertinent fabulã, quàm quæ ad aliã Tragœdiã: quapropter intercalare conantur. Huiusmodi sanè rei initiũ primũ ab Agathone sumptũ. Atqui quidnam differt, intercanere, intercalare, locutionẽue illam, quæ

aliud ex alio nectit, integrumq; Episodium? Iam uerò
cum de his omnibus dixerimus:reliquum est,ut de Dictio=
ne,atque Sententia agamus:tametsi de sententia in ijs,quos
de Rhetorica scripsimus libris,ut quod eius uiæ & ratio=
nis magis propriũ sit,disseruimus. Ad sententiã ea om=
nia pertinent,quæcunq; oratione adstruere oportet.cuius
partes erunt,ostendere,soluere,perturbationes præpara=
re:sicuti misericordiam,timorem,iram,cæteráq; huius ge=
neris:ad hæc,exaggerare,ac diminuere.Constat autem su=
prædictarum partium rebus accommodata afferre oporte=
re:cum uidelicet uel miserabilia,uel grauia,uel mira,uel
uerisimilia astruenda sunt:in quibus tamen hæc habenda
distinctio est:quòd aliqua quidem,nullo doctrinæ admini=
culo apparere necesse est:aliqua uerò sermone ipso dicentẽ
præparari, ac ui etiã sermonis euenire.Quod enĩ dicentis
munus esset,si non quidem sermonis ui,grata esse uide=
rentur? Circa dictionem unum quidẽ speculationis est ge=
nus,de figuris uidelicet ipsius:quod quidem ad histrionicã
atque ad eum,qui huiusce modi arti præsit,pertinet:exẽpli
gratiâ,quid sit mendatum,quid preces,quid narratio,quid
minæ,quid interrogatio,quid responsio,cæteráq; id genus.
Quandoquidem præter horum peritiam,ignorationémue
nulla quidem accusatio,quæ digna sit studio, ad Poëtiam
refertur.Nam quis,obsecro,in his peccatum esse suspicetur,
quæ Protagoras accusat?siquis uidelicet,dum precari se exi
stimet,interim præcipiat: hoc pacto: Iram pande Dea.
quandoquidem (inquit ille) iubere aliquid fieri,uel non
fieri,præceptum est.Quapropter facessat hæc consideratio
perinde ac alterius facultatis.non autem poëticæ propria.
Dictionis uniuersæ partes hæ sunt: elementum ,syllaba,
coniunctio

cōiunctio, nomē, uerbū, articulus, casus, oratio. Elementū indiuidua dicitur uox, non quidem omnis, sed illa tantùm, ex qua suapte natura intelligibilis uox constitui potest. quando quidem & indiuisibiles sunt ferarum uoces, quarum sanè nullam elementum dicimus. hæc uocalis, siue semiuocalis, aut etiam muta appellatur. Vocalis, quæ sine ulla prorsus adiectione sonum, qui exaudiri possit, reddit. Semiuocalis, quæ non sine adiectione, ut σ ς. Muta, quæ cum adiectione, per se nullum omnino sonum reddit: adiuncta uerò his, quæ aliquam uocem reddunt, exaudiri potest: ut γ & δ. Hæc differunt inter se figura oris, ocis, aspiratione, tenuitate, longitudine, breuitate, acumine, reterea grauitate, inflexione, de quibus sanè in his, quæ l metra pertinent, consideratio propria est. Syllaba, x est nihil penitus significans, composita ex muta, & em aliquo pacto habente. nam γς etiam absq; α syla est: & cum α, ueluti γςα. sed harum differentias minare, metricæ artis est. Coniunctio uox est mi significans: quæ nec impedit, nec efficit aliquam uo gnificare, apta quidem ex pluribus uocibus componi, mo atque medio orationis congruens: quam quidem io orationis suapte natura poni minime conuenit: ut ίτοι, δὴ: siue uox per se quidem minime significans ribus uocibus unam, apta uerò uocem unam significa reddere. Articulus, uox est minime significans, principiū orationis, uel finē, uel separationē osten dmodum τὸ φημὶ, τὸ περί, & alia: siue uox mi dē significans, quæ nec īpedit, nec efficit aliquam nificare, aptā ex pluribus uocibus componi, tam quàm medijs cohærens. Nomen, cōposita uox est,

 significans

ſignificans ſine tempore, cuius aliqua per ſe pars nihil ſignificat. nam & in compoſitis ſic obſeruamus, ut nullum per ſe ſeparatim ſignificet: ut in θεωδώρῳ, in quo δῶρον minime ſignificat. Verbum, compoſita uox eſt, ſignificans cum tempore: cuius (quemadmodũ de nomine diximus) nulla per ſe pars ſeparata ſignificat. Etenĩ homo, ſiue albũ nequaquam cum tempore ſignificat: ambulat uerò uel ambulauit, cum tempore ſignificat: illud quidem præſens, hoc præteritum. Caſuum, qui tum ad nomen, tum ad uerbum pertinent, hic quidem ſignificans eſt ſecundum huius, uel huic, & quæcunq; talia: ille uero ſecundum unum uel plura, ut homines, uel homo: itemq; alius ſecundum perſonarum modos, quatenus interrogant, ſiue iubẽt: uerbi gratiâ, ambulauit, & ambulat: quæ quidẽ eiuſdem generis ſunt caſus uerbi. Oratio uox eſt, ſignificans compoſita, cuius partes quædã ſeparatæ aliquid omnino ſignificãt. Quãquam enim non omnis oratio ex nominibus & uerbis cõſtat (ut hominis ipſius definitio: ſiquidem ſine uerbis etiam conſtare poteſt) oĩno tamen aliquas ſignificantes partes habebit: ut in hac oratiõe, ãbulat Cleon, illud Cleon ſignificans eſt. Duobus uerò modis una dicitur oratio. aut enĩ ſignificans unum per ſe eſt, aut additis cõiunctionibus: uerbi gratiâ: Ilias quidẽ una erit coniunctionibus oratio: nominis uerò definitio unum ſignificat. Nominis generum, aliquod eſt ſimplex (ſimplex autem uoco, quod ex minime ſignificantibus conſtituitur) aliquod duplex: cuius aliud quidem ex ſignificantibus ac minime ſignificantibus cõponitur, aliud ex ſignificantibus omnino. Triplex inſuper, ac quadrupex nomen eſſe poteſt: quemadmodum multa Megaliotorum, ἑρμοκαϊκόξανθος. Omne autem nomen aut

eſt

est proprium, aut ab alia lingua, aut translatio, aut ornatus, aut fictum, aut productum, aut subtractum, aut cõmutatum. Proprium uoco', quod omnibus in usu est. Ab aliis linguis, quod aliquibus duntaxat: ex quo patet, huiusmodi atque proprium fieri posse, ut in idem quandoq; redãdant, minime tamen eisdẽ: ut σίγυννον, id est lanceola: quod Cyprijs quidem proprium, nobis uerò ab illorum lingua. Translatio est nominis alieni illatio, uel à genere ad speciem, uel à specie ad genus, uel à specie ad speciem, aut etiam secundum aliquod, quod proportione respondeat. A genere ad speciem uoco: ut, Stetit hæc mihi nauis: etenim in portu esse, stare aliquod est. A specie ad genus: ut, Ipse decem peperit iam millia commoda Vlyxes. decẽ millia enim multa sunt: quo sanè uocabulo pro multo utuntur. A specie ad speciẽ: Abstulit ære animã: immiti ære, absẽdit: hoc enim loco auferre pro abscindere & abscindere pro auferre, usurpauit: quod utrunq; subtrahere aliquod sit. Proportione uerò respondens dixerim, quando aliquod secundum ad primũ simili ratione se habeat, qua quartum ad tertium: sumit enim uel loco secundi quartum, uel quarti secundũ: interdumq; addunt, pro quo dicitur, ad quod est: exempli causâ: simili ratione se habet Phiala ad Bacchum, qua scutum ad Martem. dicetur & phialã, scutum Bacchi: & scutum, phialam Martis. rursus ad diem uespera pari ratione se habet, qua ad uitam senium. itaq; dicet uesperam, diei senium: & senium uesperam uitæ: uel, sicut Empedocles, occasum uitæ. Licet item quibusdam nomen proportione respondens inditũ non sit, nihilò tamen secius simili ratione dicetur: quemadmodũ frugem quidem proijcere, serere dicimus: proijci uerò

à sole flammam, nominis est expers: cũ tamen ita ad solis
flammam hoc se habeat, quemadmodum serere ad frugem:
ideoq; Sol dictus, sator diuinitus ignis. Licet autem huius=
cemodi translationis modo uti, & alio quoque: cum uide=
licet nominauerimus alienum quippiam, aliquid eius pro=
prium ab eodem remouentes: ut siquis appellare uolens
phialam, dixerit scutum, non Martis, sed Bacchi. Fictum
est, quod à nemine usurpatum, à poëta ponitur: cuiusmodi
hæc esse apparent: ut, Cornua ramos, & sacerdotem custo=
dem. Productum, atque subtractum: Productum uide=
licet, quòd longiore uocali utatur, quàm sit eius propria, si=
ue etiam adiectam syllabam asciuerit: Subtractum, quòd
aliquo siue peculiari, siue adiecto, mutilum sit: exempli
gratiâ: Productum, πόλεως πόληος, πηλείδου πη=
ληϊάδεω dicimus: subtractum, ut κρῖ & δῶ: atque etiam
cùm una ex geminis fit, ut pro ἑῆς ἧς, id est, suæ. Com=
mutatum, cuius in denominatione aliqua quidem remanet
pars, aliqua uerò additur: uelut, Dexteriorem secundum
mammam, pro dextram. Nominum præterea sunt aliqua
mascula, aliqua fœminea, aliqua media. Mascula, quæ=
cunque in ν & ς desinunt, & in cunctas, quæ à π & κ
mutis componuntur: sunt enim omnino duæ, ψ & ξ. Fœ=
minea, quæcunque in uocales suapte naturâ longas: quales
sunt η & ω, desinunt, productas insuper in α: quò fit, ut hæ
numero sint æquales illis, in quas mascula & fœminea de=
sinunt. ψ enim & ξ non diuersæ sunt: sanè nullum nomen
in mutam desinit, sed nec in uocalẽ breuem: in ι uerò, tria
tantùm, μέλι, κόμμι, πέπερι: in υ quinq;, πῶυ, νάπυ,
γόνυ, δόρυ, ἄστυ. Media in hæc, insuperq; in ν & σ.
Dictionis autem uirtus, ut perspicua sit, non tamen humilis.

quæ

quæ igitur ex proprijs nominibus constabit, maximè perspicua erit, humilis tamen: exemplũ sit, Cleophontis, Stheneliq; poësis illa ueneranda, & omne prorsus plebeium excludens, quæ peregrinis utitur uocabulis. Peregrinũ uoco, uarietatem linguarum, translationem, extensionem, tum quodcunque à proprio alienum est. uerùm si quis hæc omnia simul congerat, uel ænigma efficiet, uel barbarismum: ænigma quidem, si translationes: barbarismum uerò, si linguas. Aenigmatis forma ea erit, oratio scilicet, quæ ex minime congruentibus inter se constet. hoc itaque per nominum compositionẽ effici minime potest, per translationem uerò potest: ut Vidi igne, atque ære uirum uiro inhærentem unum: Cateráque id genus: quemadmodum quoque ex liguarũ uarietate barbarismus: quapropter aliquo pacto his admiscetur. Proinde sicut illud non triuiale ac minime humile, lingua, translatio, ornatus, cæteræque dictæ species pariunt: ita propriũ, perspicuitatẽ. Cæterùm non minimã conferre uidentur partẽ ad dictionis perspicuitatẽ, & ad uulgare excludendũ productiones, cõcisiones, nominũq; immutationes: quandoquidẽ id, quod præter usum communẽ fit, quatenus à proprio diuersũ est, illud minime plebeiũ efficit: quatenus uerò cum usu cõmuni conuenit, claritatẽ. Quapropter errant non parũ qui huiusmodi dictionis genus accusant, quique Poëtã ipsum incessere audent: id quod priscus Euclides fecit: quasi facile quis cõfingat, si ei, dum iãbos cõscribat, in ipsa dictione nomina quantũlibet extẽdere liceat: queẽadmodũ, ἠτίχαριν εἶδον μαραθῶνα δαδίζοντα: &, οὐκ ἄρ γεινάμενος τ᾿ ἐκείνου ἐξ ἐλέβορον. itaq; ridiculus esse apparet, qui hoc dicendi modo usus est. Atqui mensura æquè omnibus partibus

regula

regula est. nam siquis translationibus, linguis, cæterisq; huius generis uel indecenter, uel affectatè usus fuerit, pari ratione ridicula struxerit. Quantum uerò concinnitas in carmine polleat, uel ex eo consideretur, quòd loco nominũ ad mensuram in oratione comparatorum à uarietate linguarum, translationum, cæterorúmq; generis huiusmodi, siquis proprias appellationes posuerit, ueram nos attulisse rationem insidias non iuerit. id quod Aeschyli, atq; Euripidis in eodem faciendo iambo pariter uersantium exemplo apparet. nam cum hic unum duntaxat nomen lingua non trita loco proprij immutauerit, tam pulcher apparuit, q̃ ille abiectus est uisus. etenim in Philoctete Aeschylus sic locutus est: Mei pedis carnẽ exedit phagedæna: ipse uerò Euripides, loco exedit, epulatur apposuit. Ad hæc: Nunc aũt paruus me existẽs, turpis, ĩeptus,: uerbi gratiâ, siquis afferens magis propria, id ineptus immutauerit: hoc pacto: Debilis, informis me existens exiguusq;: itẽq;, Indignũ currũ, et exiguas dapes: dicatq; currũ prauũ, & paruas dapes: rursusq; pro Iones uociferantur, Iones clamant.

Ariphades præterea, carpebat tragœdos, perinde ac in tragœdijs suis his uterentur, quæ in communi sermone diceret nemo: ut, Δόμων ἄπο, pro ἀπὸ δόμων, id ẽ, domibus ab, pro ab domibus: & ὁ ἐθεν, pro σου, id est, sui: & νιν, pro αὐτὸν, id est, ipsum: & Ἀχιλλέως πέρι, pro περὶ Ἀχιλλέως, id est, Achille de, pro de Achille, cæteráq; huiusmodi: prorsus ignorans, quod & hæc omnia dũ proprium uitant, plebeiam interim dictionem effugiunt.

Cæterùm magni negocij est in supradictis singulis à decenti non discedere, minimeq; abuti compositis nominibus, linguisq;: cumprimis uerò decenter uti translationibus, maxime est

me est arduum. id quod unum non aliunde quæsitum sit, oportet, uersatilisq; ingenij indolem præ se ferat. Etenim recte quid transferre, simile aliquod illius contemplari est.

Duplicia uerò nomina ut maximum in modum Dythirambis quadrant, sic Heroicis linguarum uarietas, Iambicisq; translationes. quanquam Heroicis quidem supradicta omnia ualde usui sunt: Iambicis uerò quòd maxime colloquia æmulentur, cuncta illa conueniunt nomina, quibus rite quis in ipso sermone utatur. sunt autem hæc propria, metaphorica, ornata. De Tragœdia igitur, deq; ad actionem accommodata imitatione, satis hactenus à nobis hæc dicta sint. De narratiua uerò & per numeros imitatione, quod ipsæ quoque fabulæ, non secùs ac in Tragœdijs actus, consistere debeant, pariterq; circa unam eamq; integram atq; perfectam actionem uersari, principio saliat, medio fineq; constantem, à qua sanè, uelut ab integro quopiam animali, uoluptas quædam peculiaris proficiscatur, omnino manifestum est: itemq; quod historijs usitatis dißimiles esse debeant. quæ quidem non unius tantum actionis præbeant notitiam, necesse est: sed temporis unius omnium sanè, quæcunq; in eo tam circa unum, quàm plures contigere, eodem saliat modo, quo singula quæq; inter se (ut casu euenit) se habent: uerbi causa: circa idem tempus naualc bellum in Salamine, præliumq; Carthaginiensium in Sicilia, quæ minime quidem in eundum exitũ pectant. ita quoque in insequentibus temporibus, dum alterum interdum post alterũ fit, quibus unus non est exitus id quod fere poëtarum non pauci efficere solent. Quambrem, quemadmodum superiùs diximus, ob id etiam præceteris diuinus Homerus uideri iure debet, quòd bellum quidem

quidem alioqui principio, medio, fineq; constans, totum scribere minime est aggressus. siquidē uel nimis magnū eua-surum, atq; adeo perceptu difficile existimauit: uel, si ad iustam magnitudinem perstrinxisset, inculcatum nimia uarietate futurum. Nunc uerò eius recte una duntaxat parte suscepta, pluribus in ea Episodijs usus est, sicuti nauium catalago, alijsq; Episodijs: quibus poësim ipsam locupletissimam reddit. Alij uerò circa uirum unum, tempusq; duntaxat unum uersatur: sed actionem ipsam multimembrem constituunt: quemadmodum, qui Cypria, & Iliadem paruam conscripsit. Verumenimuero Ilias simul, atq; Odyssea una tantum Tragœdia, duabus ad summum claudi possunt: contrà Cypria, non nisi pluribus: tum parua Ilias, ex octo amplius constat: ut sunt armorū iudicium, Philoctetes, Neoptolemus, Eurypylus, Emendicatio, Lacæna, Ilij excidium, Reditus, Sinon, Troiades. Iisdem præterea generibus Epopœïa, quibus Tragœdia, constet, est necesse. etenim uel simplicem, uel complicatam, uel moralem, uel patheticā hanc esse oportet. Cui totidē, eædemq; partes, præter Harmoniā, & apparatum respondēt: ut quæ peripetijs, agnitionibus, affectibus, adhuc etiam sententia & dictione, egregijs quidem omnibus, indigere uideatur. quibus sanè cunctis & ante alios, & plenissime Homerus uates utitur. siquidem utroque poëmate hæc omnia complexus est. Vt enim Ilias simplex, atque Patheticum continet genus, sic Odyssea complicatum: ut quæ agnitionibus constet, & per totum morata sit. ad hæc quoque, dictione, atque sententiā cæteris mirum in modū uatibus antecellit. Differt autem Epopœiæ contextus à Tragico, longitudine, metroq;. itaq; longitudinis præfinitio fit (de qua à nobis satis est dictum) ut

ut principiũ,simulq; finis conspici queat.hoc autem fuerit, si contextus ipsi, ueteribus quidem minores erunt: plures uerò Tragœdias ad unam auditionem dispositas complectentur. Quippe proprium Epopœiæ est,posse plurimum in magnitudinem excrescere:id quod assequi Tragœdia nõ potest:quãdoquidẽ hæc plura simul facta imitari nequit,sed id solummodò,quod in scena tunc, atque adeo penes histriones est.cõtrà in Epopœia,ut quæ mera enarratio sit,plures ueluti partes transactas conglutinari permissum est:quibus sanè perinde ac sibi proprijs,poëmatis ipsius quasi grauidus augetur uterus. Quapropter hac prærogatiua cùm polleat: tum facilem ad magnificentiam aditum habet,tum ad auditorem subinde leuandum,neque non dissimilibus Episodijs cuncta ad peragendum. Etenim Episodiorum uniformitas, ut quæ cito satietatem afferre soleat,in causa est,cur Tragœdia ad finem festinet.Heroicum uerò carmen ex ipsa quidem experientia congruens esse apparuit: Etenim, siquis alio quolibet metri genere,pluribúsue inter se mixtus,enarratiuam facere imitationem aggressus fuerit,præter ipsum decens,factum uideri poterit, quandoquidem numerorum omnium stabilissimus atque turgidissimus Heroicus est. quò sanè fit, ut linguas, atque translationes potissimum admittat.nam motus ipse enarratiuus præ cunctis alijs excellens est.iambi uero, atque octonarij, mobiles quidem sunt: uerum, ut hi saltationibus, sic agendis rebus illi aptissimi sunt. ad hæc illud etiam magis absurdum, siquis, ut ipse Chæremon, hos miscuerit. Quare longum contextum alio, præterquàm heroico, metro ritè panget nemo. niuere (sicuti diximus) natura docet.

Proin

Proin uates Homerus in hoc quoque, quemadmodùm & in cæteris, præcipua laude dignus est: quandoquidem omnium unus, quid ipsum deceat poëtam, minimè ignorat. Decet autem hunc ex persona sua pauca dicere, quòd in eo imitator non sit. itaque uates alij, dum hoc studio semper certant, pauca interim, paucisq; in locis imitatione assequuntur: contrà Homerus pauca admodùm præfatus, modò uirum, modò mulierem, interdum mores aliquos inducit. nihil enim unquam non moratum, at semper moribus præpollens, quodcunque confingit. Sanè conuenit Tragœdiæ ipsum præbere mirandum, magis autem Epopœiæ, quòd uidelicet proportione respondeat, ideóq; mirandum maxime huic conuenit: quoniam in ea ad ipsum agentem minime respicimus. Porrò, si quis illa, quæ de persecutione in Hectorem sunt, in scenam afferat, utique ridicula apparere fecerit. nam & illos stare, & hunc abnuere uidere esset, id quod prorsus in ipsis carminibus latet. Cæterùm mirandum ipsum per se esse gratum, argumento sit, quòd omnes huiusmodi aliquod, dum nunciant, ueluti dicturi in gratiam, id semper exaggerant: Homerus uerò præcipuè alios docuit, quo pacto mendacium ipsum dici oporteret: quod profectò paralogismus est. Existimant enim homines cùm hoc ipso existente, siue facto, hoc ipsum fiat, si posterius sit, etiam prius esse, uel fieri: quod quidem mendacium est: sed ob id sanè mendacium primum est, quòd alio quopiam existente, hoc idem esse, uel fieri necesse sit. siquidem cùm hoc esse uerum sciat, anima nostra paralogismo colligit, etiam primum esse uerum. Cuius exemplum ex Niptris sumi potest: itémque fieri quæ neutiquàm possunt, modò uerisimilia sint, potius

us

us quidem eligenda esse, quàm quae minime uerisimilia:
licet fieri possint. Sermones quoq; ipsos adeo non ex par-
te rationis expertium constitui debere, ut etiã nihil, quod
non summa ratione preditum sit, contineant. si uerò se-
cus fiat, extra ipsam fabulationẽ saltem sit: exempli gra-
tiâ: ignoratio Oedipodis, quo pacto Laïus occubuerit: non
autem in actibus, sicut in Electra Pythicorum nunciatio:
itemq; in Mysis, ex Tegea mutus, ut loqueretur, profectus
in Mysiam est: quapropter locutum fuisse dicere, fabula
quidem ridicula esset. Etenim à principio eiusmodi con-
stituẽdæ non sunt: at si semel constitutæ fuerint, & ita sint
recepta, eas admitti quamuis absurdas, probabilius erit.
quandoquidem illa etiam in Odyssea circa Vlyxis expo-
sitionem rationis expertia sunt. quæ quidem nullo pacto
toleranda apparerent, si hæc eadem non bonus aliquis
poeta confinxisset: nunc uerò diuersis bonis absurdum
obtegens, suaue ipsum poëta reddit. Cæterùm in dictione
otiosis in partibus maxime elaborandum: secus autem in
iis quae moribus, quæq; sententia polleant. quandoquidem
ualde luminosa dictio, tum mores, tum sententiam,
quae quidem per se satis conspicua sunt, obumbrare solet.
Problematum uerùm dubitationes, ac solutiones, ex quot uidelicet,
ac qualibus e generibus constent, ita considerantibus mani-
festum erit. Etenim cum imitator poëta sit, sicuti quoq; pi-
ctor, uel alius imaginum designator, eorum semper unum
aliquod quae tria numero sunt, imitetur necesse est: qualia
fuerunt, erunt, siue sunt: uel qualia dicũtur, uidentúrue,
uel qualia esse oportet. hec autem dictione tum per lin-
guas, tum per translationes enunciantur. Multæ enim
... sunt quas poëtis indulgemus.

Ad hæc non eadem est rectitudo ciuilis facultatis, quæ poëticæ: sed nec alterius ullius artis, præterquàm poëticæ. huius uerò peccatum omnino duplex est, alterum per se, alterum per accidens. Itaque, quod ad imitandum non imitabile sibi proposuerit, per se huius peccatum erit: proponere uerò non rectè, per accidens. Quemadmodum utrunque dextrum latus equum promouentem: aut secundum unamquanque artem peccatum: uerbi gratiâ, secũdũ medicinam, aliámue quamlibet artem: aut etiã, si, quæ fieri nequeunt, confinguntur. Qualiacunque igitur hæc fuerint, minime quidem per se huius peccata dicimus. quò fit, ut obiectiones in quæstionibus, siquis ad hæc respexerit, soluturus sit. Ac primum quidem, tametsi peccemus semper in his, quæ secũdum artem sunt, si quæ fieri nequeunt, confingamus. rectè tum id factum se habebit, si proptereà eiusdem finem assecuti fuerimus. dictus est enim eius finis: uerbi causâ: si hoc pacto, uel id magis stupendum fuerit, uel aliqua ipsius pars huiusmodi reddatur. Exẽplum sit illa in Hectorem persecutio. si ergo finem magis, minúsue aßequi cõtigerit, peccatũ uerò in his, quæ circa artem sunt, fuerit: nequaq̃ satis rectè id fiet. quippe si fieri potest, nullo pacto peccandum est. Prætereà uel est in his peccatum, quæ secundum artem sunt, uel quæ secundũ aliquod accidens. leuius enim fuerit, si ceruam cornua non habere ignorauerit, quàm si non bona imitatione descripserit. Ad hæc, siquis ex parum ueris arguatur, at certe qualia esse decet, solutio sit: id quod Sophocles dixit, se quidẽ homines, quales esse oporteret, effingere: Euripides autem, quales essent. Quòd si neutro soluendum sit modo, at certe ita esse dicuntur: respondendum erit, uelut in ijs,

quæ

quæ ad ipſos pertinent Deos.fortaſſe enim ſic dicere neq; meliorem in modum,neq; ſecundum ueritatem fuerit: ſed tamen ita contigit,ut Xenophanes ait. ferunt hæc quanquàm non meliorem fortaſſe in modum,nihilominus ita ſe habuere:uelut illud, quod de armis perhibetur .Rectæq; ſolo præfixæ haſtæ. Sic enim eo tempore moris erat, ut nunc etiam apud Illyrios. An uerò rectè, uel non rectè à quoquam ſiue dicatur,ſiue fiat,ſiquis inquirere uelit,non modò idipſum factum,dictúmue conſiderare debet,utrùm laudabile,an prauum ſit: uerùm etiam ad agentem, dicentémue reſpicere,ad quem uidelicet, uel quando, uel cui, uel gratiâ cuius: uerbi cauſâ: boni maioris gratiâ,ut fiat: mali maioris,ne fiat. Sunt etiam aliqua,quæ ſi ad dictionem ipſam reſpexeris,licet ſoluere:uerbi gratiâ, lingua, ut Principio ſanè οὐρῆας. nam ea uox οὐρῆας forte non mulos,ſed cuſtodes ſignificat: ac de Dolone : Turpis erat ſpecie:non quòd eſſet corpore malè compacto,uerùm turpi facie.nam uocabulũ εὐειδὲς pulchra facie aliquid Cretenſes uocant:& illud ζωρότερον propinabant.haud enim ζωρότερον eo ĩ loco pro mero, quo ebrioſi gaudent,ſed pro frequenter accipitur. Per translationem inſuper: ut, Iamq; Deos alios pernox, homineſq; tenebat. Inſignes galea ſomnus : tum illud quoque : Si quando Troiæ ad cãpos ſua lumina uertant:ut etiam tibiarum fiſtularumq; uocem ſanè pro multis,omnes per translationem dicimus. Omne enim aliquod multũ eſt:&,οἴη δ' ἄμμορος,id eſt, ſola,expers ſimiliter per translationem. illud enim quod notiſsimum eſt,unicum,& ſolum dicimus. ſoluimus præ-

cui si circumflexum addideris accentum, pronomen sibi, significat. quin & illud quoque: οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ: id est bimbre minus maceat. οὐ enim, quæ negatiua particula est, si circumflexum cum aspiratione sumpserit, aliud sonat. per diuisionem quoque, quemadmodum apud Empedoclem: Nata sed hæc subito mortali corpore uidi Ante immortali quàm animantia seligerentur. item per Amphibologiam: Plurima præterijt nox. Illud enim πλέον amphibologicum est. per consuetudinem quoque dictionis: ut illud κεκραμένον, id est mixtum, quod ad uinum pertinere receptũ est. Vnde & illud: Ocrea, quæ fuerat stanno confecta recenti. & χαλκέας, quæ uox alioqui fabros ærarios significans, pro ferrarijs sumitur. Iuxta quod etiã Ganymedes à uino minister Iouis appellatur, cum tamen Dij ipsi uinum non bibant: id quod per translationem dici neutiquam potest. Quando autem in nomine cõtrarietas inesse significationis uidetur, considerandum sanè, quotuplex est eius, circa id, de quo agitur, significatio: quemadmodum: Huic spicula ferrea cum prohibebat. Etenim eo in loco ἔσχετο, quod alioqui inhærebat significat, pro prohibebat accipitur. Quotuplex uerò illud expenditur hoc fermè pacto: maxime uerò, siquis contraria, è regione disposita suscipiat: siue, ut inquit Glauco. Quoniam sine ratione aliqua præsumunt, ipsi quidem ueluti iamiam pronunciaturi ratiocinantur: quasiq; pro arbitrio locuti, tametsi eorum opinioni contrarium insit, redarguunt. quo in genere sunt illa, quæ de Icario perhibentur. Siquidem Laconem hunc extitisse existimant: ideoq; sequi absurdum euenit quidem Lacedæmona Telemachum in eum minime incidisse: cum tamen id fortasse se habeat, quemadmodum

Cephalen-

Cephalenses dicunt, qui quidem duxisse apud se uxorem Vlyxem dictitant: Iadiumq́; esse, non Icarium. boc autem in genere peccatum, est uerisimilis dubitatio. In *summa, quod fieri nequit, uel ad ipsā* Poësim *uel ad meliorem eius modum, siue etiam ad famam referendum est: quantum uerò ad* Poësim *attinet, credibile potius, licet fieri nō queat, eligendum est, quàm incredibile, licet queat: huiusmodi autem sint, cuiusmodi pinxit* Zeuxis *: potiusq́; in melius declinent: exemplar enim ipsum superare oportet.* Et *ad illa, quæ præter rationem dicunt esse, sic respondendum, tum quòd aliquando sine ratione non sunt. uerisimile enim fieri aliqua præter id, quod uerisimile est. Cæterùm ita dicta contraria sic exploranda, quemadmodum in sermonibus* Elenchi, *si idem, & ad idem, & eodem modo: sicuti dicentē ipsum, aut ad ea, quæ ipse dicit, aut quæ prudens aliquis supponeret. rectè enim id increpatur, quod siue rationis est expers, siue probitatis: cum uidelicet nulla necessitate cogente præter rationē aliquo quis utatur: sicut* Euripides Aegisthi *nequitia, & in* Oreste Menelai. *Tales itaque obiectiones ex quinque generibus proueniunt.* Etenim *uel sicut illa, quæ fieri nequeunt, uel quæ rationis experti a, uel quæ lædentia, uel quæ contraria, uel quæ præter artis rectam normam existunt. solutiones autem ex dictis iam enumeratis considerandæ sunt omnino duodecim.* V*trùm uerò melior epopœiæ imitatio sit, an tragœdia, dubitare aliquis poterit.* Etenim *si illa melior, quæ minus inuidiosa, huiusmodi sanè est, quæ ad meliores fit spectatores. Manifestum quidem, quòd illa quæ cūcta imitari uult,*

re solent:qui, cum discum imitari oporteat, se ipsos in gyrũ agunt: Scyllamq́;, dum modulantur chori, principem trahunt. Itaq; Tragœdia talis est: unde priores illi iuniores se pro histrionibus habebant. siquidem Myniscus uelut in eo nimium Calippidem simiam appellabat. talisq; propemodum de Pindaro oppinio erat. Vt autem hi ad illos se habent: ita quoque integra ars ad Epopœiam. Hanc igitur sicuti præstantiorum spectatorum esse dicunt, histrionica arte minime indigentium: ita ignarorum Tragœdiam, quæ quoniam inuidiosa, ideo deterior esse apparet. Primum igitur huiusmodi accusatio non poëticæ, sed histrionicæ est. nam & indiciorũ opificio, tum qui exametros recitat, quod Sosistratus faciebat, utitur: tum, qui hos concinit, quod Mnasitheus Opuntius. deinde non omnes motus sunt improbandi, sicuti nec saltationes, sed ineptorum tantum: quibus & ipse tunc arguebatur Callippides, & nunc etiam ali qui: perinde ac minime liberales fœminas imitentur. Ad hæc Tragœdia sine motu, quemadmodũ & Epopœia conficitur: ut quæ ex lectione quoque, qualis omnino sit, manifestò apparet. Itaq; si in cæteris est præstantior, illud sibi quasi minus necessarium esse planè dicimus. Omnibus insuper quæcunque Epopœia continet, abundè pollet. nam & numeris utitur: & quæ non modica pars habenda est, musica quoque, & apparatu. Ex quibus sanè uoluptates ipsæ, manifestißimè percipiuntur: nec non in agnitione, cæterisq; actionibus euidentißima est: & ambitu minori poëticæ imitationis finem assequitur. id enim uberiorem uoluptatẽ præbet, quòd quæ per longum temporis periodum sparsa habentur, breuiori collecta gyro perstringit: exempli gratiâ: Siquis Sophocleum Oedipodem

dem tot in carmina, quot Ilias continet, distribuerit. Ad hæc Epopœiam imitationem, qualiscunq; fuerit, non unam omnino esse argumento sit, quòd ex hac, qualiscunque fuerit, Tragœdiæ semper plures exeunt. quare si unam isti fabulã composuerint, necesse est eam uel breuem nimis, instarq; muris caudæ apparere: uel si ad iustæ mensuræ longitudinẽ produxerint, quasi uinum dilutißimũ: quòd si plures, uerbi gratiâ, si ex pluribus actionibus commixtam, profectò non unam qualem Iliadem, & Odysseam, plures quidem huiusmodi continentes partes, quæ alioqui per se ipsas etiam magnitudinem habent: tametsi huiusmodi poëmata, tum optime quantum fieri potest, constituta sint, tum etiam quàm maxime unius actionis imitatio. Si igitur Tragœdia non modò in his omnibus præcellit, sed artis quoque opificio: (quippe non quamlibet uoluptatem, uerùm quam diximus, præstare debet) sanè liquet meliorem hanc esse, multò quidem perfectiùs Epopœia finem assequentem. De Tragœdia igitur, & Epopœia, deq; earum generibus, atque partibus, quot etiam quibusq; differunt, de causis insuper, cur hæ meritò probentur, reprobentúrue, tum de obiectionibus, ac solutionibus, satis hactenus à nobis hæc dicta sint.

FINIS

